



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CXCV. Ioannis Papae VIII. Ad Methodivm Archiepiscopvm  
Pannoniensem. Praecipit vt ad se veniat, vt de eius doctrina cognoscere  
poscit. Missas Sclauonica lingua celebrari prohibet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CXCV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD METHODIVM ARCHIEPISCOPVM

PANNONIENSEM.

Præcipit vt ad se veniat , vt de eius doctrina cognoscere  
poscit. Missas Sclauonica lingua celebrari  
prohibet.

*Reuerendissimo Methodio archiepiscopo Pannoniensis ecclesiæ.*

**P**RÆDICTIONIS tuæ doctrinis populum Domini ti-  
bi quasi spiritali pastori commissum saluare instrue-  
reque cum debeas , audiuius , quod non ea , quæ sancta  
Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit , &  
quotidie prædicat , tu docendo doceas , & ipsum populum  
in errorem mittas . Vnde his apostolatus nostri literis tibi  
iubemus , vt omni occasione postposita , ad nos de præsen-  
tivenire procures , vt ex ore tuo audiamus , & cognosca-  
mus vtrum sic teneas , & sic prædictes , sicut verbis & lite-  
ris te sanctæ Romanæ ecclesiæ credere promisisti , aut non ;  
vt veraciter cognoscamus doctrinam tuam . Audimus et-  
iam quod Missas cantes in barbara , hoc est , in Sclauina lingua ;  
vnde iam literis nostris per Paulum episcopum An-  
conitanum tibi directis prohibuimus , ne in ea lingua sacra  
Missarum solennia celebrares ; sed vel in Latina , vel in  
Græca lingua , sicut ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa ,  
& in omnibus gentibus dilatata cantat . Prædicare ve-  
ro , aut sermonem in populo facere tibi licet , quoniam  
Psalmista omnes admonet Dominum gentes laudare , & Psalm. 116. 2.  
Apostolus : *Omnis , inquit , lingua confiteatur , quia Dominus Ie-* Philipp. 2.  
*sus in gloria est Dei Patris . Data ut supra .*